

et philosophiam quid intersit. Sapientia perfectum bonum est
 mentis humanae; philosophia sapientiae amor est et adfecta-
 tio: haec eo tendit quo illa pervenit. Philosophia unde dicta
 5 sit apparet; ipso enim nomine fatetur quid amet. Sapientiam
 quidam ita finierunt ut dicerent divinorum et humanorum 5
 scientiam; quidam ita: sapientia est nosse divina et humana
 et horum causas. Supervacua mihi haec videtur adiectio, quia
 causae divinorum humanorumque pars divinorum sunt. Philo-
 sophiam quoque fuerunt qui aliter atque aliter finirent: alii
 studium illam virtutis esse dixerunt, alii studium corrigendae 10
 6 mentis; a quibusdam dicta est adpetitio rectae rationis. Illud
 quasi constitit, aliquid inter philosophiam et sapientiam
 interesse; neque enim fieri potest ut idem sit quod adfectatur
 et quod adfectat. Quomodo multum inter avaritiam et
 pecuniam interest, cum illa cupiat, haec concupiscatur, sic 15
 inter philosophiam et sapientiam. Haec enim illius effectus
 7 ac praemium est; illa venit, ad hanc itur. Sapientia est quam
 Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur,
 sicut philosophia nunc quoque utuntur; quod et togatae tibi
 antiquae probabunt et inscriptus Dossenni monumento 20
 titulus:

hospes resiste et sophian Dossenni lege.

8 Quidam ex nostris, quamvis philosophia studium virtutis
 esset et haec peteretur, illa peteret, tamen non putaverunt
 illas distrahi posse; nam nec philosophia sine virtute est nec 25
 sine philosophia virtus. Philosophia studium virtutis est, sed